

plicit translacio sancti Calixti pape et martiris'. Nachstehend lasse ich nun daraus die beiden in der Ausgabe mangelhaften Stücke folgen:

(f. 249.) Ea igitur tempestate uir nobilissimis Francorum natalibus oriundus nomine Eurárdus ducatum Foriuliensis diuina ordinatione sub glorioso principe Lothário Lucdouici piissimi imperatoris genito ac in regni gubernaculis successore nobiliter amministrabat¹⁾). Hic itaque miles Christi, non piger atque frigidus circa fidem ac dilectionem dei, multitudinem gentis Sclauorum aliarumque paganarum gentium, ubi et ipse quasi quidam marginalis miles ac limes ad discernendum filios dei a filiis diaboli fortiter astabat, ualida manu sepius debellauerat, pariterque armis terrendo ac predicationibus apostolicis instruendo ex eis paulatim spoliauerat atque inminuerat diaboli regnum et dilatauerat atque uestierat ecclesię catholicę domum. Nam sepe aduersum Ismahelitas atque Agarenos, qui se Saracenos gloriantur, dimicans contraque Numidarum ac Maurorum seuissimos populos resistens fortiter non modicum ex ipsis reportauerat triumphum. Et unde hostibus atque inimicis sancte ecclesie tristiciam atque formidinem incusserat, inde fidei domesticis atque eiusdem sancte matris ecclesie cunctis fidelibus leticiam et hilaritatem infuderat, totisque uite seu amministrationis sue diebus que dei deo et que cesaris cesari reddens, immunem se á cunctis que secularis potencie fastus²⁾) requirit custodiens, deo soli quod fuerat uel quod fecerat sollicitus consecrabat. Erat enim eius uita et actus regi suo celesti pariter et temporali amabilis ac uenerabilis, sociis et contubernilibus predicabilis, hostibus ac peccatoribus formidabilis. Illis etiam, quos diabolice perfidie armis fidei subtraxerat, ecclesias ac monasteria per diuersa eorundem terre loca fabricauerat atque diuinis cultibus perornarat. Unde et nonnulli ipsorum non iam armis conterriti sed alleluia cantacione conpuncti, relictis demoniacis incantacionibus ad Christum toto corde conuersi, in sinum sancte matris ecclesie suscepti in domino quieuerunt. Insuper quoque uir dei uenerabilis atque memorabilis Eurárdus per diuersa loca regni Francorum subiecta, que sibi uel patrimonio cesserant uel donationibus regum prouenerant, basilicas Christo fundauerat, reliquiisque sanctorum dei, quas ubicunque inuenire poterat, sollertissime decorarat, bonisque suis temporalibus abundantissime cumularat. Hic³⁾) itaque omnia que de beato Calixto facta fuerant a dicentibus uiris religiosis crebrius audiebat etc.

(f. 250'.) Ecclesia namque, que ibi constructa fuerat, antequam sanctus dei martir Calixtus deferretur, parua quidem

1) 'administrauit' hat der Druck, dessen Lücke hier beginnt. 2) faustus Hs. 3) Hier beginnt der Druck wieder.